UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

De Ivstitia Et Ivre, Continens Tractatvs De Prvdentia, Fortitvdine, & temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia commutatiua, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione, & Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

8. An pactum vt debitor fundum censui suppositum tradat creditori, vt ex eius fructibus pensionem accipiat & quod superest debitori reddat sustinendum sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76677

Visual Library

grauetur id non prouenit à contractu, ſed à qualitate cenſuarij, quia eſt forenſis, & alterius à creditore fori. Quod emptori cenſus non videtur imputandum qui ſe indemnem ſeruare potuit, quique forenſem prætulit in emptione cenſus, cum poſſet illo repulſo vicinum eligere.

3 Illud eſt certum pactum de ſoluendis ſalariis, & expenſis ob non ſolutam penſionem tempore præfixo etiam ſtante conſtitutione Pij V. licitum eſt, quia eſt pactum de damno emergente vitando, ad quod ipſe cenſuarius iure naturali tenebatur, ſicut ſcripſit Gutierr. *lib.* 1. *canon. quæſt. cap.* 39. *n.* 44. Nauarr. *poſt comment de vſur. gloſſ.* 9. *num.* 93. Gaſpar Roderic. *lib.* 2. *de redditib. quæſt.* 6. *num.* 10. Salas *de cenſib. dubit.* 30. *in fine.*

## §. VIII.

### An pactum, vt debitor fundum cenſui ſuppoſitum tradat creditori, vt ex eius fructibus penſionem accipiat, & quod ſupereſt debitori reddat ſuſtinendum ſit?

1 *Inſpecto iure* Pij V. *nequit fieri benè inſpecto iure communi, ſi pretium augeatur.*
2 *Temperatur, niſi cenſuarius ſuſpectus de ſolutione penſionum eſſet.*

1 BReuiter reſpondeo ſtante bullâ Pij V. nequaquam ſuſtinendum eſſe, quia eſt pactum præter naturam contractus, & in grauamen venditoris, ſiquidem obligatur venditor abſtinere ab vſu proprij fundi, & in emptorem transferre. Quæ ratio probat inſpecto iure communi fieri non poſſe cenſu per pretium ordinarium empto. Secus verò ſi aucto pretio, vel penſionum diminutione hoc onus venditori compenſetur. Vt latè probat Gaſpar Roderic. *lib.* 2. *de redditib. qu.* 11. *num.* 4.

2 Si autem venditor ſuſpectus eſſet, nec fideiuſſores daret præſtandarum penſionum poſſes obligare venditorem, vt fundum aut quodlibet aliud pignus tibi concederet interim ac fideiuſſorem inueniret, quia illud pactum non eſt alienum à cenſu, cum ſolum ſpectet tuam indemnitatem, & poſſet à venditore prȩſtito fideiuſſore fundum redimere. Vt benè Gaſpar Roderic. *d. q.* 11. *n.* 13. aduertit.

## §. IX.

### Num pactum de anticipata penſionum ſolutione ſuſtinendum ſit?

1 *Nequaquam ſuſtinendum eſt, niſi aliâ viâ compenſetur.*
2 *Hæc compenſatio ſcrupuloſa eſt.*

1 REſpondeo nequaquam ſuſtinendum eſſe, niſi forte augmento pretij, vel penſionum diminutione, aut alia via compenſentur, quia de natura huius contractus eſt, vt pro rata temporis elapſi ſoluatur penſio, vt multis comprobat Couarruu. 1. *var. capit.* 15. *numero* 10. *&* 11. Molin. *diſp.* 390. *clauſ.* 3. Rebell. 2. *p. de obligat. iuſtit. lib.* 10. *quæſt.* 6. *num.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 18. Salon. *art.* 3. *de cenſib. diſp.* 12. Salas *tract. de cenſib.* late Roderic. *de redditib. lib.* 1. *q.* 18. *ex n.* 12. *& ſeq.*

2 Dixi *niſi ſupra ordinarium pretium cenſus compenſetur prædictum grauamen.* Nam compenſari poſſe videtur affirmandum. Non enim aliqua penſionum anticipata ſolutio emptioni obſtare poteſt, quandoquidem pecunia credita cenſum emi poſſe dixerimus. Fateor tamen ſcrupuloſum eſſe contractum, & in praxi non admittendum, ſi in principio contractus cum pecuniam venditori tradis ipſum obligas, vt ex illa penſionem futuram ſoluat, quia perinde eſt ac cenſum emere minori pretio, ideoque debes ab ea exactione, vtpote præſumptiuè iniuſta omnino abſtinere.

## PVNCTVM XXV.

### Debeaturne gabella ex cenſu conſignatiuo, & à quibus perſonis, & quo loco ſoluenda?

1 *Gabella ex cenſu conſignatiuo debetur.*
2 *Quod verum eſt etiam ex venditione cenſus iam conſtituti.*
3 *Si rem cenſui ſuppoſitam vendas ea conditione, vt emptor ad ſolutionem cenſus obligetur. Affirmat* Molina *deberi gabellam ex toto pretio.*
4 *Sed contrarium alij non improbabiliter docuerunt.*
5 *Ad quem ſpectet ſolutio gabellæ.*
6 *Locus vbi ſoluenda eſt, debet eſſe vbi bona hypothecata ſpecialiter ſita ſunt.*
7 *Venditio, ſeu permutatio cenſuum regalium ob hac obligatione eximitur.*

GAbella ex ſola emptione, & venditione, ac permutatione debetur in Hiſpania, vt conſtat ex *leg. regia* 1. *&* 2. *tit.* 7. *lib.* 9. *collect.* Cum autem in cenſu conſignatiuo vera emptio, & venditio interueniat, vt ſæpe dictum eſt ex hoc caſu gabella debetur. Vt tradunt Lazarte *de decima vendit. & permutat. c.* 10. *à n.* 4. Mol. *diſp.* 384. Gaſp. Roderic. *lib.* 2. *de redditib. q.* 4. *per totam.* Quod non ſolum in cenſu perpetuo redimibili, ſed etiam in cẽſu vitalitio procedit, quia etiam in illo intercedit venditio iuris exigendi penſionem durante vita. Vt reſoluunt aduerſus Sarmient. 7. *ſelect. c.* 1. *n.* 40. Mol. *d. diſput.* 884. Lazarte *d. c.* 10. *n.* 38. Felician. 2. *t. de cenſib. lib.* 2. *c. fin. n.* 2. *& ſeq.* Auendaño *tr. de cenſib. c.* 93. *n.* 2. Quod procedit, vt bene probant prædicti Doctores, quamuis nulla res fuerit hypothecata. Satis enim eſt ad venditionem, quod cenſuarius pro pecunia accepta obligationem ſubeat ſoluendi vitalitiam penſionem, quidquid dicat Azeuedo *leg.* 1. *tit.* 17. *lib.* 9. *collect. n.* 110. *& ſeq.* Aduertuntque *ibi* Felician. & Auendaño deberi gabellam ex cenſu ſiue perpetuo, ſiue vitalitio tanquam ex re immobili. 1

Adde non ſolum ex conſtitutione noui cenſus gabellam deberi, ſed ex venditione iam conſtituti, & in alterum tranſlati, quia eſt vera emptio, & venditio. Vt poſt alios reſoluunt Ignat. Lazarte *de decima vendit. c.* 10. *n.* 8. Auendaño *d. c.* 93. *n.* 3. Quod intelligendum eſt, cum ob pecuniam acceptam transfertur. 2

Verùm ſi rem cenſui ſuppoſitam venderes eo pacto, vt loco pretij emptor ad ſolutionem cenſus obligetur, grauis eſt dubitatio, an ex eo contractu debeatur gabella ex quantitate, & æſtimatione cenſus, vel tantum ex reſiduo, ſi aliquid tibi vlterius ſolutum eſt. Debeti ex quantitate, & æſtimatione cenſus, ac proinde ex integro pretio conuento affirmat Mol. *diſp.* 384. §. *dubium eſt.* eo quod totius rei pretium & æſtimationem cenſus emptor ſoluerit, perinde enim eſt te ab onere ſoluendi cenſum liberare, ac pecuniam, qua onus illud æſtimatur largiri. 3

Sed contrarium non improbabiliter docuerunt Felician. *de cenſib. lib.* 2. *cap. fin. num.* 11. & 2. *t. eodem c. n.* 5. Azeuedo *dict. leg.* 1. *n.* 17. *lib.* 9. *collect.* 117. Nam quoad æſtimationem cenſus attinet nõ videtur celebrata venditio, ſiquidem nihil accipis, ſed rem cenſui affectam alteri ſub eo onere donas: & in eum obligationem ſoluendi tranſmittis tranſmiſſa re cenſuali. 4

Solutio autem gabellæ eſt ſi inſpecto iure communi ad emptorem pertineat, vt pluribus firmat Gaſp. Roderic. 2. *de reddit. q.* 4. *n.* 6. *& ſeq.* per Textum *in l. debet. ff. de ædilitio edicto:* attamen in noſtro Caſtellæ regno hoc ius competit venditori. ex *l.* 1. *t.* 17. *lib.* 9. *nouæ collect.* Sicuti reſoluit idem Roderic. cum Menchaca *de controu. vſu frequent. c.* 11. *n.* 16. 5

Locum autem vbi gabella ſoluenda eſt communior ſententia quam refert, & ſequitur Azeuedo *d. leg.* 1. *tit.* 17. *lib.* 9. *n.* 118. Felician. 2. *t. de cenſib. lib.* 2. *c. fin. n.* 5. Auendaño *c.* 93. *n.* 4. aſſerit eſſe, vbi bona cenſui ſpecialiter hypothecata ſita ſunt. Si autem nulla ſint bona ſpecialiter hypothecata, ſed ſolùm generaliter locus ſolutionis erit locus contractus. 6

Ab hac tamen obligatione ſoluendi gabellam eximitur venditio, ſeu permutatio cenſuum regalium, vulgo *Iuros.* Nam eſto ex rigore gabella deberetur, attamen in fauorem donationum regiarum non exigitur. Præterea cum Rex hos redditus vendit gabellæ non eſt locus, cum Rex cui gabella competebat vtpotè venditor reddituum obligari non poteſt, & inde in perpetuum à gabella ſoluenda eximuntur, tametſi in alterum venditione transferantur. Sicuti reſoluit Lazarte *de decima vendit. & permut. c.* 10. *n.* 76. Mol. *diſp.* 384. *in fine.* Auendaño *c.* 93. *n.* 6. 7

---

## PVNCTVM XXVI.

### De fideiuſſoribus pro ſecuritate cenſus adiectis.

## §. I.

### Poſſintne fideiuſſores exigi pro ſecuritate rei cenſitæ, & penſionis?

1 *Aliqui negant in contractu cenſuali licere fideiuſſores exigere, cum nullum eſt periculum.*
2 *Sed contrarium praxi receptum eſt.*
3 *Qualiter hi obligentur ſtante* Pij V. *conſtitutione, & illa ſecluſa?*
4 *Neque pro hac fideiuſſionis exactione obligatur emptor pretium augere.*

SVpponendum eſt ex communi ſententia praxique recepta fideiuſſores licitè in contractibus exigi. Sed an in cenſuali contractu? Difficultate non caret. Nam Salon. 2. 2. *articul.* 3. *controu.* 14. negat licere, niſi adſit mortale periculum quod res cenſita pereat, vel infructuoſa reddatur, vel cenſua- 1